Confirmatio priuilegiorum

Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, per S. D. N. Pium *diuina prouidentia Papam Quartum facta.*



PIVS PAPA IIII.

AD FVTVRAM Rei Memoriam. *Præclarum opus* Fabricæ *Basilicæ* Principis *Apostolorum de* Vrbe *exposcit, vt ea quæ illi a prædecessoribus nostris prouide concessa sunt sublatis quibuslibet obstaculis votiuum consequantur effectum.* Cum *itaque nos in crastinum assumptionis nostræ ad summi* Apostolatus *apicem aliorum prædecessorum nostrorum vestigia insequuti, indulgentias etiam plenarias, ac facultates, necnon priuilegia prærogatiuas, & indulta ab eisdem prædecessoribus concessa in genere reuocauerimus, & suspenderimus.* Nos *ne propter huiusmodi reuocationem* Fabrica *prædicta interrupta pendere cogatur, &* Christifideles *ad tam pium & laudabile opus tepidiores reddantur* Indulgentias *etiam plenarias, necnon dispensandi, & alias facultates, priuilegia questarum probibitiones prærogatiuas, & indulta, per* Iulium II. Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Iulium *etiam* III. & Paulum IIII. Romanos Pontifices *prædecessores nostros ipsi* Fabricæ *& dilectis filiis illius* Collegio *concessa, cum omnibus & singulis clausulis, & decretis in singulis literis* Apostolicis *desuper tam sub* Plumbo *quàm in forma* Breuis *confectis, quorum omnium tenores, ac*

ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, ex certa ſcientia auctoritate apoſtolica tenore præſentium confirmamus. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, necnon ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, facultatum, gratiarum, priuilegiorum, indultorum, etiam aliorum prædictorum reuocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, etiam in fauorem Sancti Antonij de Sancto Antonio Vienenſis, & noſtri Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe, hoſpitalium, ac Sancti Sebaſtiani ad cathecumbas, redemptionis captiuorum in Eccleſia Sancti Dominici Neapolitañ. Sancti Bernardi, ac aliorum monaſteriorum, Eccleſiarum, confraternitatum, & piorum locorum quorumlibet, necnon quibuſuis Canonicorum regularium, vel fratrum Minorum ordinibus ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis per prædeceſſores prædictos, & nos ac Sedem apoſtolicam factis & faciendis ſub quibus præmiſſa nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta eſſe, necnon quicquid ſecus ſuper hiis a quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari, irritum & inane decernimus, ac omnibus illis quæ in ſingulis literis prædictis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſq́ contrarijs quibuſcunq́. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca, qui

bus illis opus erit, defferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus; quod illarum transumptis manu Secretarij pro tempore existentis, subscriptis, & sigillo praedicti Collegij munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrũ sub annulo Piscatoris, Die Prima Martij M. D. LX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. de Sancta Cruce.

A. Calorius.